

laude dignum. Sed pulcher es et speciosus? Cornicem ostentatio non es parens pulchrior neque propter florem neque propter alas. Verum et cygnus valde pulcher est, et aliæ aves multæ; quibus si fueris comparatus, aspicias te quasi nihil. Frequenter autem et viles pueri et innuptæ virgines, et meritoria mulieres et molles viri hanc gloriam habuerunt. At es locuples? Unde? Quid possides? Aurum, argentum, lapides pretiosos? Hæc sunt et latronum et metallæ scrutantium gloria. Sed ornaris et comeris? Verum et equos comptos videre licet, apud Perzas quoque camelos, hominum vero scenicos omnes. Non confunderis in his alta sapiens, in quibus brutæ tecum sociantur, et servi et homicidæ et molles, et latrones et fures? Sed propter vocem altum sapis? Cyeno lusciniave nunquam tu suavius canere potes. At in artis varietate? Et quid ape in hoc sapientius? Quis phrygio, quis pictor, quis geometres hujus operam poteris imitari? Sed in vestis subtilitate? Verum hæc aranæ tibi præstant. At in pedum velocitate? Rursum primas ferunt bruta, lepus et caprea. Sed acute cernis? Tamen non sicut dorcas nec ut aquila. At auditum habes acutum? Sed asinus acutiorem. At olfactum? Verum canis te præcedere non sinit, etc. Vides quantum nobis rerum examinatio conferat? Omnibus hominibus altiora sapiens etiam brutis vilior inventus est. »

Deinde, unde sunt et cujus illa, de quibus inrolescit? Itane ea omnia cum homine nata sunt? Secumne is intulit in mundum vestes pulchras, opes, prædia, dignitates, scientias, virtutes? Nihilominus: *Quid habes quod non accepisti*, ait apostolus, I. Cor. IV. *si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Omnia enim quæ habet, vel naturæ, vel gratiæ dona sunt, itaque a Deo ipso veluti pauperi et his omnibus egenti benevole donata. Quis gloriatur aut superbit de vestitu, licet splendido, si eum velut indigus dono accepit? Annon potius erubescit de sua paupertate, in qua alioquin nudus aut centumrulatus esset? Discamus hoc a Christo, de quo Joan. c. XIII. ita scribit: *Sciens quia omnia dedit si Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cæna et ponit vestimenta sua, etc. cepitque lavare pedes apostolorum.* Unde quæso hoc inauditum humilitatis exemplum? Nimirum, quia scivit et expendit se omnia quæ habebat a Patre accepisse; idcirco surrexit, et posuit vestimenta sua, adeoque instar servi præcinxit se et lavit pedes discipulis. Ac licet summam illam potestatem, quam habebat secunda humanitatem, acceperit etiam a seipso.

qua Deo; tamen eam non sibi sed Patri adscribit, ideoque velut alienam agnoscit, et cum veste quasi deponit, formamque servi induens, stupendum humilitatis exemplum edit. Quid jam faciat homo pauperrimus et nudissimus qui prorsus nihil a se ulla ratione, sed omnia a Deo habet, quæcumque habet?

Denique, quamdiu hæc bona durabunt? *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri*, ait Isa. c. XL. Cum flore igitur pereunt. Herodot. l. I. ait reges Babylonios sceptrum gestare solitos, in quo rosa aut alius quivis flos erat affabrefactus. Quid flore fugacius? Rosa, Plut. auct. contra ebrietatem valet. Sceptro igitur, quod eos fastu ebrios reddere poterat, rosam affigebant; quæ, licet pulcherrima et florum regina, marcescit tamen illico. Quod hi in dignitate forsitan cogitabant idem alii cogitent, in aliis suis bonis ac præcellentis rosas nimirum et flores esse. Quid minus homini ex terrenis bonis auferri quam scientia potest? At videte Simonem Thurvalum Anglum, Parisiensis scholæ præfectum, qui, cum inflatus scientia dixisset se totam Moysis et Christi doctrinam defendere ac tueri, et rursus evertere atque annihilare posse, repente a Deo punitus, omnem suam scientiam ipsumque alphabetum et nomen suum oblitus est, adeo ut instar pueruli rursus elementa litterarum ad discere visus sit, Polyd. l. V. an. 120. Balæus, cent. III. c. XLI. Sic nimirum Deus humiliare superbos novit.

Videmus arma, quibus superbo illi Goliatho obviare possumus. Quæ si tibi nondum sufficiunt, postremum illud adhibe, quod adhibuit David, quando Goliathum proprio decollavit gladio. Te ipsum execrare veluti superbum, quem deprimere non potes. Suggestit hoc S. Bern. serm. dom. IV. post. pentec. his verbis: « Quæras fortasse quemadmodum suo ipsius gladio Goliæ possis abscindere caput? Id enim tibi tanto jucundius, quanto molestius hosti. Quoties, te provocante vanitate, et recordatione comminationis divinæ, seu promissionis, seu cæterorum quæ supra diximus, confundi ceperis et erubescere, devictus est quidem Goliath, sed forsitan adhuc vivit. Accede itaque propius, ne forte resurgat, et stans super eum, mucrone proprio caput ejus abscinde de ea ipsa quæ te appetit, vanitate perimens vanitatem. Elata siquidem cogitatione sumas humilitatis, quo nimirum humilius deinceps et abjectus tamquam de superbo homine sentias de teipso; Goliathum utique Goliæ gladio peremisti. »

CONCIO V.

DAMNA QUÆ INFERT VANA JACTANTIA.

I. Perdit opus bonum quod agit. — II. Peccatum insuper incurrit. — III. Perdit gloriam et gratiam, et incurrit odium. — IV. Prodit inanitatem propriam. V. Derisionem meretur et reportat. — VI. Perdit sæpe donum, de quo se jactat.

THEMA.

Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo. Lucæ, c. XVIII.

Evangelus Tarentinus (auctore Luciano, in dial. adversus indoctum) in teatro fidibus certaturus cum aliis, prodiit auro, purpura et gemmis adornatus, cithara supra quam dici potest, aureis annulis, gemmis, picturis insigni, ita ut spectatores omnes in admirationem raperet et incredibili spe repleret; verum aggressus ludere, personat agreste quiddam inersque et incompositum, simulque dum immodice citharam increpat, rumpit tres fides; itaque ab omnibus derisus, a ludorum præfecto loris cæsus e teatro exturbatus est. Hunc secutus Eumelus quidam Eleus, pervetustam citharam afferens cujus lignei erant clavuli, ipse vestem indutus vix una cum serto decem denariorum pretii. At ille et bellicum edebat carmen, et rite sicut ars poscebat, chordas feriens modulabatur. Deo hujusmodi citharædi prodire mihi videntur in hoc evangelio, quasi in teatro, cantu orationis inter se certantes, Pharisæus et Publicanus. Et ille quidem velut Evangelus prodit cum fastu, jactans opera et expandens phylacteria sua; sed dum hoc modo orationem inchoat, totam citharam rumpit, ideoque reprobatus a Deo cum ignominia discedit. Sequitur a tergo Publicanus, sordido et abjecto habitu, pectus suam percussibus inquinatam; interim tamen suave carmen ore suo depromit, et Dei ipsius applausum promeretur. Hunc imitantur qui peccata sua confitentur et deplorant; Pharisæum autem qui seipsum jactant: qui quantum sibi damnum, quantam in cithara sua rupturam faciant, nunc investigabimus.

I. Perdit opus bonum, quod patratum et quocumque tandem labore et industria. Patet hoc ex dicto Christi, Matth. VI. *Cum facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicu, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Qui vero ostentant aut jactant opera sua, nonne tuba canunt ante se? Qui in foro aut publico hospicio pecunias suas depromit et nume-

rat, fures sibi parat: qui per vias latronibus infestas splendidus incedit, prædones sibi accersit: ita qui se jactat, spoliatio se exponit. Judæi, dum gloriabantur de arca sua, perdiderunt illam, et viderunt abductam a Philisthæis, quemadmodum Psal. LXXVII. dicitur: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.* Ubi S. August. ait: *Ipsam arcam, unde sibi videbantur invicti, et unde sibi applaudebant, virtutem et pulchritudinem eorum disit.* Eadem ex causa rex Tyri, seu qui per illum adumbratur, Lucifer, audit ab Ezech. XXVIII. § XVII. *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* In quem locum S. Bernard. serm. LXXIV. in Cant. ait: *Perdidit eam cum fecit suam.* Quando igitur homo opera sua per jactantiam facit, tunc ea perdit. Quanta vero hæc stultitia, multo sibi labore quædere divitias, et mox uno jactu projicere in mare!

II. Neque solum perdit meritum operum, sed etiam adducit peccatum, quo collutulat perditque animam; quia Deo suffuratur gloriam et sibi attribuit. Typum hujus rei præbuit Moyses manus, quam ubi ad Dei jussum e sinu extraxit Moyses, leprosam et immundam deprehendit: mundam vero et sanam, cum in sinum reclusit, Exod. V. Sic enim qui opus bonum, per manum designatum, effert in publicum per jactantiam vel ostentationem, malum et immundum cernit, lepra superbæ fœdatum: uti e contra sanum et integrum, qui in sinum id suum recondit. Propterea Eccl. c. XXIX. ait: *Conclude elemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit:* aliqui legunt: *Absconde elemosynam in sinu pauperis.* Manus nudatæ inter labores cito maculantur et vulnerantur: tectæ vero chirothecis mundæ perseverant. Idem alia legis veteris tropologia insinuat, quando præscriptum: *Vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit.* Quod ita exponit Rabbanus: *Quasi vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo taciturnitatis velamine operitur.* Denique, per jactantiam mittuntur margaritæ bonarum virtutum ante porcos, ubi non solum suum perdunt splendorem, sed luto etiam fœdantur et inquinantur, ut horrore et abominationi fiant iis, qui ad ornatum corporis sui adhibere eas possent.

III. Perdit gloriam et gratiam apud Deum et homines, et incurrit odium. Testis in primis est experientia, jactatores rerum suarum audientibus, non modo onerosos sed præterea et exosos atque intolerabiles esse. Unde dicitur: *Propria laus sordet.* Accedit S. Chrys. hom. III. in Matth. ita scribens: « Caveamus de nobismetipsis dicere gloriosa: hoc enim nos et hominibus in-

visos, et Deo abominabiles facit. Et idcirco, quanto majora fecerimus bona, tanto de nobis minora dicamus. Hoc enim modo maximam et coram Deo et coram hominibus gloriam consequemur: nec solum gloriam quæ a Deo est, verum etiam mercedem retributionemque plenissimam: » et mox: « Nam nos quoque famulos habentes, tunc eos maxime comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsecuti nihil se grata arbitrabantur egisse. Itaque, si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim magna esse non possunt. » Contingit jactatoribus, quod contigit Judæis, qui temporale suum regnum per Christum perdere timebant, cæleste vero perdere non timuerunt, ac sic utrumque amiserunt. Ita enim qui gloriam apud homines, non apud Deum quærent sese jactando, utrobique eam perdunt. Hinc Dominus ad Judæos, Joan. V. *Gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis.* Ubi D. Cyrillus: *Quasi enim naturæ, inquit, necessitateque accidit omnibus qui gloriam hominum venantur, ut gloriam Dei amittant.* Quam vero decipiantur in hominum opinione, bene ostendit S. Chrys. hom. LXXII. in Matth. « In mentem tibi veniat, inquit, quia etiam ille ipse, a quo gloriam aucuparis, tamquam venum te omnino condemnabit, et si amicus est, secum te reprehendet: sin vero inimicus, etiam apud alios hanc ambitionem condemnabit. Ita contraria tibi eveniunt, quam desideras. Tu quidem maxime cupis, ut de te admirans: Ille misericors, ille humanus, ille benignus, dicat. Ipse autem istud non dicet; sed ille inanis gloriæ cupidus, prædicabit; ille qui omnibus, quovis modo placere hominibus studet, cæteraque ut deteriora. Sin vero tu celabis, tunc exclamabit: O misericordem illum a que humanum! Non enim grande aliud atque præcipuum occultari diutius Deus patitur. Sed si tu celabis, ille manifestabit: ita et mirabilior eris, et majora lucraberis. Quare ad acquirendam gloriam contraria est omnino ostentatio. » Sic ille verissime. C. Marius militari alioquin virtute celeberrimus, una sui jactatione plus gloriæ famæque perdidit, quam reliquis actis fortiter gestis acquisierit, publicæque commendationis vota demeruit, ut scribit Hannibal Scotus, lib. V. comm. in Tacitum. Idem aliis cuculis accidit, sui nominis decantatoribus.

IV. Prodit non virtutem sed inanitatē propriam. *Ligna quæ plurimum fumi exigunt, fere minimum calorē exhibent: ac ferme minima possunt qui plurima jactant,* inquit Thriverus, apophth. LV. Qui sapiunt et vera virtute præditi sunt, similes sunt lapidibus illis, qui in Britannia re-

periuntur, et accensi ardent quidem, fumum tamen non edunt, auctore Cardano, l. X. de variet. rer. c. IV. Vas si inane est, plenum est aere, et si leviter tangatur, multum resonat: at ubi in illud bonus aliquis liquor infunditur, fugit aer, nec sonum edit vas, licet graviter percussum, nisi levissimum, ut patet et scribit Plut. de profect. *Vas pretiosum labia scientiæ,* inquit, Sapiens, Prov. XX. § XV. Hoc si se jactet, vento se plenum indicat inani: sin taceat, plenum liquore sapientiæ et virtutis. Hujusmodi vas repletum fuit Moyses, qui licet ex consortio et colloquio cum Deo radiantem accepisset vultum, instar lunæ cornutæ, tantum abest ut eum ostentaret coram Hebræis, ut etiam ignoraret: *Quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini,* Exod. XXXIV. quod Chaldæus ita vertit: *Ignorabat Moyses quod multiplicatus esset splendor vultus sui.* Irradiabat quidem Moyses facies divino quodam splendore, et mirabatur populus insolitum hunc fulgorem: at qui fulgebat instar solis suam ipse non videbat lucem, seipsum nesciebat. Postea ubi admirandam vidit turbam, et causam animadvertit, vir modestissimus velamen obdixit vultui, quo splendorem suum tegeret. At vero qui inanes sunt virtutibus, videri volunt, et quod in animo non habent ab hominum opinione sibi emendicare atque affingere conantur, velut si strigosus et macilentus equus a phaleris et lbris gloriam sibi venari vellet.

V. Derisionem meretur et reportat; quia stulta et deridicula est, prodens thesaurum suum furibus ac prædonibus, necnon æmulis et derisoribus: « Homo, inquit Hector Pintus, in c. XLVI. Ezech. cœperit domi suppellectilia, ne inquinentur: sic cooperire debet bona opera quæ agit, ne corrumpantur. Mirum est profecto, sed legendum quidem, habere hominem domi suæ vestes in apositorio, tectas, parmam (scutum parvum) tectam lineo operimento, gladium operatum vagina, sagittas pharetra, solam autem virtutem, si quam habet, detectam. Omnia vult habere cooperta præter bona opera quæ vult omnibus divulgari. » Consonat huic, quod S. Bern. ser. IV. de adventu scribit: « Insiptens tu, inquit, qui merces congregas in saccum pertusum: qui thesaurum tuum alieno in ore constituis, ignoras quod arca ista non clauditur, nec seras habet? Quanto melius sapiunt, qui thesaurum suum ipsi sibi servant, aliis non committunt. Præterea dico vobis charissimi, utile est abscondere magis quam ostentare, si quid habemus boni: sicut et mendici, cum elemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra aut ulcera si habuerint, ut ci-

tius ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille servavit multo melius Pharisæo et ideo descendit justificatus ab illo, id est, præ illo: » et serm. in nat. Joan. Bapt. « Stultus ut luna mutatur. Quia nimirum splendet luna sine fervore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur, etc. Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare licuerit vel laudare: » et sem. XIII. in Cant. « Stultus sum si cistellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, et cœpero mendicare eam abs te cum habere voluero. Nonne nempe in tuo arbitrio est probare me vel improbare, prout volueris? Sed si retineo penes me, ipse fidelis servo mihi. » Solent igitur stulti jactatores communiter explodi ac derideri vel sarcasmis pungi. E quorum numero chimicus quidam obtulit libellum Leoni X. Pp. jactans se auri conficiendi e quavis pene materia peritum; cui pontifex magna expectanti nil aliud nisi crumenam vacuum donavit, addens: *Auro te donarem; sed quia, ut ais, artem id conficiendi ipse nosti, sola indigere crumena, qua id recondas, videris,* Corozettus, in dict. mem. Alterum quemdam empyricum, qui se artem medicinam podagræ curandæ percalere gloriabatur, idem pontifex non minus acute rogavit, ut sibi decem millia ducatorum mutuo daret. Cui alter, pauperem sibi censum esse, habere vel parum quod alteri mutare possit. Atqui, ait Leo, si artem illam nosti, cum tot principes ingenti lucro et remuneratione curare a podagra queas, ne ditiores te longe meipso esse oportet? auct. ser. mem. Ita nimirum jactabundi: *Ventum seminant et turbinem metunt,* Ose. VIII. Inanem gloriam spargunt et confusionem colligunt, sicque, ut B. Petrus Dam. serm. XXIV. ait: *Turdela imitantur, quæ, ex eo quod digerit, moritur. Ex ejus quippe stercore planta nascitur, de cujus humore viscus conficitur, quo postmodum et ipsa capitur.* Sic enim jactatores suis ipsorum verbis capiuntur et illuduntur.

VI. Perdit sæpe donum, gratiam, aut virtutem illam, de qua se jactabat; et merito, quia ad prædam ea exposuit, uti Ezechias thesaurum, quem incaute Babyloniorum legatis ostendit. Inde enim barbarorum manus armavit, et cupiditatem accendit ad diripiendum paulo post thesaurum illum, Is. XXXIX. Idem accidisse Giezi, servo Elisæi, asserit Rabbi Salomon, apud Lyran. IV. Reg. IV. (si qua tamen Rabbinis illis fides habenda.) Cum nimirum in mandatis haberet, ut,

nemine salutato, pergeret cum baculo domini sui ad mortuum suscitandum puerum, ille: *Occurrentibus sibi hominibus jactanter dicebat, se missum ad suscitandum puerum,* idcirco nihil effecit. Nimirum, ut Theod. q. XVII. ait: *Sciebat Elisæus eum esse honoris cupidum, et causam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimentum, ne faciat miraculum.* Alia hujus rei exempla recenset Cæsarius, l. VIII. hist. et miracula de duobus conversis monasterii Hemmenrode, quorum unus sæpius viderat angelum bonum cum alio pio fratre ad opera manuum exeuntem; quod ubi retulit Hermanno abbati, ab eo audiit: « Quia visionem retulisti, nunquam angelum de cætero videbis; » quod et factum est, c. XLIII. Alter: « Cum in orationibus suis mellifluam divinitus accepisset dulcedinem, et ob hoc sæpe labores suos negligeret, magister suus crebro eum arguit: Frater, certis temporibus est orandum, certis temporibus laborandum. Ille, sicut homo simplex, ut increpantem placaret, respondit: O magister, si sciretis causam, non mihi imputaretis; rogo ut detis mihi osculum: putabat enim quod impressione labiorum eandem posset sentire dulcedinem. Cui mox ut osculum dedit ille, gratiam irrecuperabiliter, ut puto, perdidit iste, » lib. XCV. Terribilius est quod refert S. Greg. IV. dial. c. LI. perditum etiam regnum cælorum, et pœnas inferni acquisitas: *Quæ quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem, jactantiam et stultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta atque in ecclesia sepulta est. Eadem autem nocte custos ejusdem ecclesiæ per revelationem vidit, quia, deducta ante sacrum altare, per medium secabatur, et pars una illius igne cremabatur, et pars altera intacta remanebat; cumque hoc surgens mane fratribus narrasset, et locum ostenderet in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac si illic eadem femina igne corporeo fuisset concremata.*

Judicate nunc, auditores, utrum hoc non sit citharam uno tactu rumpere, cum quis uno verbo se incipit jactare. Quinque enim chordas rumpit, dum totidem partim bona perdit, partim damna incurrit. Apage igitur Evangele cum cithara tua, apage Pharisæe cum cantilena tua, laude propria sordida. Veni tu Eumule, veni Publicane, et cum vetusta cithara cane imperfectiones et miserias tuas: sic, exturbato illo, placebis Deo, et descendes in domum tuam justificatus præ illo.